

non inveniri, qui inferiori forte satisfecissent. Heli quoque ob lenitatem reprobo opponit exemplum Levi (seu potius filiorum Levi) Ex. 32, 28 sq. et Phinees Num. 25, 7-13, qui ob zelum punientiorum praevaricatorum sacerdotii primatum fuerant promeriti.

7) Strages atque victoria ad Lapidem Adiutorii, Samuel ad iudicis manus evectus 3, 19-7, 17.

ARG. — Cum alias notaverimus, animadversionibus de Samuelis incremento et ministerio novas introduci paragraphos (cf. 2, 11. 21. 26; 3, 1), etiam a 3, 19 ob eandem rationem novum ordinur caput narrationis. Cuius summa haec est. Hebraei a Samuele ad proelium contra Philisthaeos evocati infelicitis primum dimicare, dein temere accessita arca misere caesi sunt; cuius cladis accepto nuntio Heli subita morte opprimitur 3, 19-4, 22. Arca in Philisthaeam asportata variis Philisthaeos affectu plagis, quare illi eius in Iudaeam reducendae consilium iniere; arca, Bethsaniarum primum ulta praesumptionem, in Cariathiarim tandem substitit 5, 1-7, 1. Viginti annis post Samuel populum meliora sapientem Maspham convocat, iudicis officium suscipit, Philisthaeos fundit 7, 2-12. Narrationem 7, 13-17 concludit brevis conspectus administrati a Samuele iudicis officii.

v. 19 « *Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo, et non cecidit ex omnibus verbis eius in terram* ». Hebr. Syr. *פלל* pro *פלל* non sivit cadere, sc. Dominus. Ps. Hier.: « quidquid prophetabat, rebus gestis demonstrabatur ». Hinc simul liquet, sermonem Domini non iam fuisse rarum. Verbum de ore procedit, non ut cadat in terram, sed ut penetret in mentes et corda audientium. Verbum propheticum cadit in terram, quando non impletur, quia tum nihil confert ad auctoritatem prophetae in mentibus et cordibus audientium firmandam. Hoc sensu Samuelis verba nequaquam cecidisse in terram, ostendit v. 20 « *Et cognovit universus Israel a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini* ». Dan, civitas in extrema terra sancta ad septentrionem sita, prope unum ex Iordanis fontibus, cf. Ios. 19, 47; Bersabee, in extremitate meridionali sita, in via quae ducit Hebrone in Aegyptum, cf. Gen. 21, 31; Ios. 19, 2; expressio « a Dan usque Bersabee » iam habetur Iud. 20, 1 ad denotandam terrae sanctae universitatem. Hebr. quod confirmatus esset Samuel in prophetam Domino; non una alterave prophetia illi revelabatur, sed munus propheticum permanentemente ipse receperat. v. 21 « *Et addidit Dominus, ut appareret in Silo, quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, iuxta verbum Domini* ». Hebr.

melius vertes in sermone Domini: « Sermone cum illo habuit, verba sua in eius aures dedit » (*Calm.*); apparitionibus orales revelatio iungebatur. Sed cur quoniam? Sanct.: « Quoniam Deus in Silo primum Samueli apparere coepit, ibidem postea saepius apparuit »; et addit Lap.: « ob sanctitatem tum Samuelis, tum arcae foederis, quae erat in Silo ». Resumpta semel manifestationum serie, quam ob scelera filiorum Heli intermiserat, iam non erat, cur ab ea rursus desisteret; idque fortasse eo minus, quod, illa prima manifestatione divulgata, homines cooperunt cum magna fiducia ad Samuelem pro oraculis recurrere, quam fiduciam Deus iteratis revelationibus remuneratus est. Potest tamen etiam cum *Keil* intelligi, non causale sed explicativum: « Et apparuit Dominus iterato in Silo; nam revelabatur Dominus Samueli in Silo in verbo Domini ». — Ceterum propheticum Samuelis ministerium ideo maxime h. l. universim describitur, ut viam sternat narrando bello, quod movente propheta in Philisthaeos est susceptum.

« *Et evenit sermo Samuelis universo Israeli* ». Cap. IV v. 1 « *(Et factum est in diebus illis, convenerunt Philisthim in pugnam, et egressus est Israel obviam Philisthim in proelium)* ». Verba uncinis inclusa desunt in Hebr. Chald. Syr., et primitus etiam deerant in Vulg. (Verc.): ergo omittenda. LXX Syr. primum incisum ad priora trahunt, Hebr. Chald. et primitus Vulg. verius ad sequentia: Et factus est (una aliqua vice) sermo Samuelis ad universum Israel (iubentis eos egredi contra Philisthim), et egressus est Israel obviam Philisthim in proelium. « *Et castrametatus est iuxta Lapidem Adiutorii* ». Eben ha ezer, h. l. proleptice sic appellatum, nomen enim nactus est ex posteriori victoria 7, 12. « *Porro Philisthim venerunt in Aphee* ». Loci plures Aphee seu castelli etymo designabantur. Nostrum Aphee haud procul aberat a Lapide Adiutorii, qui 7, 12 situs erat « inter Maspath et inter Sen ». Sen alias non memoratur et est dubiae lectionis nomen. Loci nonnulli Maspha seu castellum montanum appellabantur. Hic absque dubio intelligitur Maspha Benjamin, duabus horis distans a Ierusalem et semihora a Gibeon, locus nunc Nebi Samvil dictus. Cf. 1 Mach. 3, 46: « Et venerunt in Maspha contra Ierusalem, quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel ». — Iam locus, ubi Philisthaei castra fixerant, demonstrat, eos in hoc bello fuisse aggressores (*Calm.*): penetraverant quippe in interiorem Iudaeam. Ipsum insinuat, quod statim dicitur, Philisthaeos « instruxisse aciem », utique priores, et proelium esse late diffusum » (Hebr.), loco sc. ab ipsis selecto, quo equitatu et curribus, quibus praepollebant, libere uti possent. Melius igitur fortasse vertes: Porro Philisthim castrametati fuerant in Aphee.

v. 2 « *Et instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem certamine,*

terga vertit Israel Philisthaeis; et caesa sunt in illo certamine passim per agros quasi quatuor millia virorum ». Quare hac strage non est sublata Samuelis propheta auctoritas? quia illa prioribus eventibus fuerat firmiter stabilita; insuper meminisse poterant Hebraei Iud. 20, 18-25 alterum exstiterisse exemplum cladis post vaticinium secutae. Quae verba h. l. *Vulg.* vertit *in illo certamine*, eadem 2 Reg. 5, 18. 22; 1 Par. 14, 9, 13 vertit « diffusum est proclium ». Sequentia in reliquis textibus ita habent *et contritus est Israel... et percussi sunt in acie, non in certamine*; sed cum *in acie* minus quadrat *Vulg.* *terga vertit*. v. 3 « *Et reversus est populus ad castra, dixeruntque maiores natu de Israel: Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthim?* »

Or. (17. 42): « Notandum, sine causa nunquam victum fuisse Israel; propterea etiam causam requirebant ». Domino clades iuste adscribitur, tum quia non nisi eo permittente, imo volente fieri potuit, tum quia Domini prophetae hortatu pugnam susceperunt. Vera propositae questionis responsio fuisse agnitio priorum peccatorum, speciatim profanationis cultus divini; sed permisit Deus hanc causam culpabiliter ignorari, ut et poenam sumeret admissae profanationis, et iudicium domui Heli praenuntiatum actu compleret. Seniores igitur, interna cladis ratione ignorata, statuunt exteriorem quamdam protectionem adhibere, ipsius arcae praesentiam. — Ceterum disce artis militaris apud Israelitas eo tempore simplicitatem: nullo ex officio constituto imperatore, tota rei gerendae auctoritas penes seniores erat, multiplex experientia commendatos (*Calm.*).

« *Afferamus ad nos de Silo arcam foederis Domini, et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum* ». Foedus Dominus pepigerat per Moysen Deut. 5, 2 sqq.; 29, 1 sqq., quod non nisi complementum erat foederis cum Abraham initi Gen. 15, 18: « Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Aegypti usque ad fluvium magnum Euphraten ». Cf. Ex. 6, 4; Deut. 6, 10. Promiserat etiam multoties se auxilio futurum Israeli contra inimicos. Speciatim de propitiatorio, quod erat supra arcam, atque de medio duorum Cherubim promiserat, se responsa daturum Ex. 25, 22; cf. 33, 7. « Arcam foederis habebant, neque immerito, Hebraei tanquam certum quoddam pignus divinae praesentiae ac protectionis. Experti norant, victorias se arca praesente retulisse (cf. Ios. 6, 4); amisisse autem, cum se ab illa removerunt (Num. 14, 44 sq.) ... Accedebat insita menti persuasio, Deum ipsum inter victos referendum fore, siquidem contingeret, ut Philisthaei arca praesente vincerent » (*Calm.*). Foedus tamen et promissiones conditionatae erant; seniores, conditione neglecta promissioni adhaerentes, rei fuere praesumptionis. Cf. *Duguet*. v. 4 « *Misit ergo populus in Silo et tulerunt inde arcam foederis Domini exercituum, sedentis super Cherubim* ». Seniorum placitum acclamatione populi sancitum est; missi, qui

primum Heli consensum obtinerent, dein desiderata executioni mandarent. Premitum veluti tripudiantis processiois exprimitur cumulate voces « arcam foederis Domini exercituum, sedentis super Cherubim ». De hac siquidem dictum fuerat Ex. 25, 22: « Inde praecipiam et loquar ad te supra propitiatorium ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quae mandabo per te filiis Israel ».

« *Erantque duo filii Heli cum arca foederis Dei, Ophni et Phinees* ». *Hebr. Chald. Syr.* *erantque ibi*, quae vox fortasse ex simili textu 1, 3 irrepsit; non ibi i. e. in Silo adfuisse, sed inde cum arca profectos esse filios Heli, sacer textus nos edocere vult. — Ei processioni interesse huius narrationis auctor Samuel propheta. Cernebat arcam, audiebat tripudia, contuebatur prope ipsam arcam, velut atram nebulam coelo aspersam sereno, filiorum Heli devota capita. Haud otiosa filiorum Heli iterata mentio. Ascendit Elcana 1, 3 benedictionem domui suae impetraturus; adsunt filii Heli, maledictionem domui paternae cumulant. Ministrat puer Samuel coram Domino 2, 11 sqq.; adsunt filii Heli sacrificia profanantes. Ad vocem Samuelis 3, 21 egreditur populus et castra figit in loco, ubi ex divinae providentiae decreto Philisthaeorum strages reapse, licet serius 7, 42 sq., complenda est; filii Heli de numine prius placando haudquaquam solliciti, veluti inter arcam et populum, inter prophetiam et impletionem se intrudunt, et causa sunt ingentis cladis in eo loco victoriam anticipantis. Disce, quantum plebi christianae officium nequam sacerdos.

v. 3 « *Cumque venisset arca foederis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, et personuit terra* ». v. 6 « *Et audierunt Philisthim vocem clamoris dixeruntque: Quanam est haec vox clamoris magni in castris Hebraeorum? Et cognoverunt, quod arca Domini venisset in castra* ». v. 7 « *Timueruntque Philisthim dicentes: Venit Deus in castra. Et ingemuerunt dicentes* »: v. 8 « *Vae nobis, non enim fuit tanta exultatio heri et nudius tertius* », i. e. antehac; « *vae nobis. Quis nos salvabit de manu deorum sublimium istorum? Hi sunt dii, qui percusserunt Aegyptum omni plaga in deserto* ». Quomodo dicuntur Aegyptii plagis esse affecti *in deserto*, cum id obtigerit in Aegypto et in mari rubro? Dicat, verba referri Philisthaeorum, qui, quo loco illa portenta obtigerint, non ita accurate meminissent (*Sanct.*). Ceterum adverte, *LXX Syr.* legere *et in deserto*, quae quidem claudicat constructio; *Chald. et Arab.* habere *et fecit mirabilia in deserto*, quam lectionem praefert *Houb.* Quae Arabis cum *Chald.* concordia tanto maius habet pondus, quod versionem arab. constat non ex *Chald.* sed ex *Syr.* derivari; unde probabile fit, Syrum etiam primitusuti Chaldaeam legisse, eiusque lectionis vestigium in illo et Syri et *LXX* conspici.

Philisthaei de Hebraeorum numine loquuntur numero plurali: deos numero plures ipsi colebant; norant praeterea Aegyptiorum arcas sacras, arcas foederis perquam similes, in quibus, ut plurimum, idola plura representarentur, ipsique genii alati, Cherubim partes agentes, pro diis haberentur. Similes arcas sacras, praeter alios finitimos populos, etiam Philisthaeos habuisse, veri simillimum est. *Sublimes* Hebraeorum deos non inepte *Sanct.* dici saggerit, quasi montanos, quod Iudaei tum tractus montanos, Philisthaei planitiem obtinerent; et citat 3 Reg. 20, 23: « Dii montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos; sed melius est, ut pugnemus contra eos in campestribus, et obtinebimus eos ».

v. 9 « *Confortamini et estote viri, Philisthim, ne serviatu Hebraeis, sicut et illi servierunt vobis; confortamini et bellate* ». Initio supplet *Cler.* « inquebant alii ». Plantis res ita explicatur. Sacer auctor nobis Philisthaeorum sensa et verba compendio tantum exhibet. Primus affectus fuit timoris, incassum restituros suggerentis. Mox autem percellibat animos cogitatio, se ita certissime in servitutem redactum iri Hebraeorum, suorum antehac servorum. Quae intolerabilis cogitatio Philisthaeorum superbiam ad desperationem provocavit. v. 10 « *Pugnaverunt ergo Philisthim, et caesus est Israel, et fugit unusquisque in tabernaculum suum, et facta est plaga magna nimis, et ceciderunt de Israel triginta millia peditum* ». Hebraeorum exercitus caesorum quatuor millia v. 2 facile tulit, dum triginta millium caedes effecit plagam magnam nimis; videtur igitur ab initio exercitus saltem sexaginta quatuor millia numerasse. Equitatu videntur Israelitae caruisse. Adverte rursus strategiae tum temporis simplicitatem: nullo constituto duce, de clade quisque in propriam aufugiebat domum. v. 11 « *Et arca Dei capta est, duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni et Phinees* ». *Duguet* (ad v. 4): « Aeterno decreto statuerat Deus, ut Ophni et Phinees, in publicam sacrilegiorum reparationem, occiderentur manibus incircumcisorum in ipso arcae, quam profanaverant, et populi, quem scandalizaverant, conspectu ».

v. 12 « *Currens autem vir de Benjamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissa veste et conspersus pulvere caput* ». Signa haec erant luctus, maxime in caede vel afflictione carorum; inter alios multos locos cf. Ios. 7, 6; 2 Reg. 1, 2; Iob 2, 12; Lev. 10, 6. v. 13 « *Cumque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans* ». Ita *Masor. Vulg.*; licet etiam cum *Keil* voces ita separare « a parte viae, spectans ». Nonnulla difficultatem faciunt. Primum, quod Heli caecus spectare dicitur; quare *Houb.* vocem putat significare « habitum prospectantis, seu vultus eo prospectantis, unde aliquid novi adveniret, non ipsum prospectum »; et *Bukentopius* (apud *Verc.*) censet, Heli « aliquid spectasse, praesertim moraliter ». Sed planior solutio ea est, fuisse Heli non caecum

sed caecutientem (cf. dicta ad v. 2), ideoque bene potuisse spectare (*Clair*). — *Hebr.* legit כַּעְסָה יָד דָּרָךְ קֵי (nam *keri* קֵי nullasuffragatur auctoritas); *LXX* iuxta portam, spectans viam; *Chald.* e regione viae portae spectans, apud quos vox *porta* ex v. 18 videtur irrepsisse; *Syr.* iuxta viam, et expectabat. Hinc patet *LXX* *Chald. Syr.* voci sensum iuxta tribuisse, sive cum *Hebr.* legerint absolutum יָד, sive ante illud legerint לָא (19, 3), vel לָא (2 Reg. 18, 4), vel לָל (Job 1, 14; Iud, 11, 26), cum omnibus enim hisce particulis יָד induit significationem e regione, iuxta. *Vulg.* iungens cum sequenti voce non potuit scribere: iuxta viam spectans; scripsit igitur non inepte contra viam spectans. — Tandem admirationem habet, quod דָּרָךְ careat articulo, cum tamen determinata via intelligatur; adde, participium *spectans* extremae sententiae agglutinatum non esse ex indole linguae *hebr.* Difficultatem facile tolles sola punctorum *hebr.* mutatione: iuxta viam Masphae. Pugnae locus prope Maspham erat; unde, qui nuntii essent avidi, prope portam urbis Silo, quae Maspham ducebat, consederant.

« *Erat enim cor eius pavens pro arca Dei* ». Laudat Heli de arca sollicitudinem *Sacy*, cuius periculo magis, quam populi et filiorum, moveretur, quae sola totam eius mentem occuparet; dum *I. H. Michelis* (apud *Keil*) cum affirmat confuso magnae cuiusdam calamitatis angore esse oppressum, ob arcam « sine iussu divino et sanctuario » dimissam. « *Vir autem ille, postquam ingressus est, nuntiavit urbi; et ululavit omnis civitas* ». v. 14 « *Et audivit Heli sonitum clamoris dixitque: quis est hic sonitus tumultus huius? At ille festinavit et venit et nuntiavit Heli* ». Perperam ex his post *Tir.* concludit *Calm.*, Heli ad ostium tabernaculi, non urbis, consedisso et nuntio per mediam civitatem currendum fuisse, ut ad Heli perveniret. Mirum profecto esset, Heli nuntii perepidum eo loco consedisso, qui a nuntii adventu esset remotissimus. Rem ita compone. Ut nullus in exercitu ex officio constitutus fuerat dux, ita nullus fuerat missus nuntius, sed qui primus de clade *Silontem* perveniret, partes suscepit nuntiandae cladis, non huic vel illi, non pontifici, sed universis. Erat iam Heli, quod per se patet, non solum caecutiens, sed etiam surdaster, unde verba praeterfugientis nuntii non intellexit. Percipit vero subsecutum utulorum ululatum, saltem per modum sonitus cuiusdam seu fremitus; ipsoque sciscitante, nuntius ad pontificis sellam revocatus est. Cf. *Sanct.* v. 15 « *Heli autem erat nonaginta et octo annorum, et oculi eius caligaverant, et videre non poterat* ». *Caligaverant* seu riguerant (*Hebr.*) effectus amaurosis, quae provecta aetate paralyisin nervi optici consequitur (*Keil*). Verba ponuntur ad explicanda nuntii verba « Ego sum, qui veni de proelio »; nisi enim caecutiens fuisset Heli, nuntii adventum suis ipse oculis per-

spexisset (Wellh.). — Octo soli LXX omitunt, etiam Ios. habet. Pro nonaginta Syr. septuaginta, confundens β cum γ . Ergo lectio nonaginta et octo genuina est. Sane, qui nobis describitur Heli, cenenario propinquior est quam octogenario.

v. 16 « Et dixit ad Heli : Ego sum, qui veni de proelio, et ego, qui de acie fugi hodie ». Quae verba simul fidem faciunt nuntio, quod sit testis immediatus rerum recens actarum. « Cui ille ait : Quid actum est, filii mi? » v. 17 « Respondens autem ille, qui nuntiabat : Fugit, inquit, Israel coram Philistiim, et » insuper (Hebr.) « ruina magna facta est in populo ; insuper et duo filii tui mortui sunt, Ophni et Phinees, et arca Dei capta est ». v. 18 « Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, et fractis cervicibus » — spinam vertunt LXX Chald. — « mortuus est. Senex enim erat vir et grandaevis, et ipse iudicavit Israel quadraginta annis ». Grandaevis sola Vulg., reliqui gravis. Duplex datur ratio, cur lapsus e sella exitialis fuerit : prima viri aetas, vel levi concussioni ferendae impar ; altera corporis seu potius singulorum membrorum gravitas seu rigiditas (Fürst), quae temperari lapsum prohibuerit. — Quadraginta omnes, etiam Ios., praeter LXX viginti, commutantes β cum γ . Vix est credibile, Heli anno aetatis septuagesimo octavo ad iudicis officium esse assumptum (Theh.).

Tulit proelii, tulit filiorum, non tulit arcae iacturam pontifex (Duguet), de arca unice sollicitus. Si propriae domus ruina causa fuisset primaria doloris, corruisset Heli audita duorum filiorum una die nece, quae ex 2, 34 signum erat divinitus provisum eius ruinae. Quid vero in arcae iactura pontificem tantopere perculit? Factum ipsum omni expectatione, uti videtur, atrocius ; ex facto confirmata conscientia arcae per nefas a se in castra dimissae ; tandem ex his subortus angor, ne arca, visibili divinae protectionis pignore, sublata iam mala longe graviora populo ingruerent. Meminit h. l. Sanct. gentium persuasionis, « incolumem civitatem aliquam esse non posse, si deos, quos habebat tutelares, aut excessisse sponte aut esse ablatis ab hoste contigisset ». Cave tamen ne hanc ideam exaggerans, Heli superstitionis reum facias. — Interpretis non est, de salute Heli disputare. Adverte tamen, eius a Samuele mortem cum sensu pietatis, non horroris, describi. Arcae sollicitudo fidem arguit, verba 3, 18 resignationem.

v. 19 « Nurus autem eius, uxor Phinees, praegnans erat vicinaque partui, et auditò nuntio, quod capta esset arca Dei, et mortuus esset socer suus et vir suus, incurravit se et peperit : irruerant enim in eam dolores subiti ». Reliqui dolores eius. Nota ordinem, quo huic mulieri calamitates nuntiantur : ultima nuntiatur mariti nex, quae uxori partui proximae supposebatur fore acerbissima. Ipsi tamen gloria Israel

prae marito cordi erat. v. 20 « In ipso autem momento mortis eius », ut ei levamen quoddam praerberent ex comperta nativitate prolis virilis, « dicebant ei, quae stabant circa eam : Ne timeas, quia filium peperisti. Quae non respondit eis neque animadvertit ». Admirare mulieris fidem, prae dolore amissae arcae non advertentis pueri nativitatem, mulieri Israeliticae iam exoptatam. v. 21 « Et vocavit puerum Ichabod », i. e. non gloria, « dicens : Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei, et pro socero suo et pro viro suo ».

Ultima verba non esse mulieris, sed sacri auctoris, ex suffixis patet. Cum Mab. Houb. Vere. etiam verba quia capta est arca Dei sacro auctori tribuimus, sicut Sa Mar. correspondentia verba v. 22 « eo quod esset arca Dei » eidem tribunt ; eandemque fuisse Hler. mentem, ex coniunctivo esset liquet. Idem suadet identitas constructionis hebr. : « ob capturam arcae Dei et ob socerum eius et maritum eius » ; neque putandum est, mulierem extremam iam spiritum agentem explicacionibus indulgisse, quibus neutiquam opus esset. — Sed Houb. censet, verba « et pro socero suo et pro viro suo » e textu esse eliminanda, puerum quippe non esse vocatum Ichabod ob patris et avunculi interitum, neque hos gloriam fuisse Israel. Respondeo, essentialem utique gloriae ablationem in arcae iactura constitisse, eius autem accidentale quoddam complementum reperiri in trium virorum, qui in ordine sacerdotii essent primi, simultaneo interitu. Vel dicas cum Calm. : « Ambo (viri) privata erant mulieris illius gloria, uti arca communis totius Israelis et privata familiae ipsius ». Ceterum non necessario ipsa iam mulier nomine Ichabod iacturam mariti et soceri exprimere intendebat ; sufficit, alios posthac eam significationem adiunxisse. — Quod attinet derivationem nominis Ichabod, obicit Ewald (Geschichte des Volkes Israel II. 582, Goettingen 1865), nomina Ithamar et similia non derivari a negatione α ; quin Fürst primam eorum nominum partem contractam affirmatex α אבי (?) ; ergo similem suspicantur fuisse nominis Ichabod derivationem, alteramque 4, 21 nominis serius eidem esse affixam. Verum esse affixam in ipso partu discrete affirmat textus, cuius deserendi nulla apparet ratio. Nomina ex negatione et substantivo composita non fuisse ab indole linguae hebr. aliena, suadet Os. 1, 6. Dein negatio α vel α primitus eadem est atque particula interrogativa α , « ubi » : nomina autem, quorum pars sit particula aliqua interrogativa, e. g. α אב, habes sat multa. Ceterum si lubeat fingere, matrem gravidam ad instar nominum Ithamar etc. exogitasse pro filio nascituro nomen Ichabod i. e. « pater gloriae », sed accepto cladis nuntio idem nomen, licet minus obvie, ex negatione explicasse « non gloria », id salvo textu tueri poteris.

v. 22 « Et ait : Translata est gloria ab Israel, eo quod capta esset arca Dei ».

Cap. V. Iam arcam in Philisthaeorum fines comitatur narratio. v. 4 « Philistiim autem tulerunt arcam Dei, et asportaverunt eam a Lapide Adiutorii in Azotum ». Non quod ea civitas propinquior esset, nam Geth utique propius aberat, sed quod eo tempore esset caput pentapoleos : Azotus, Gaza, Ascalon, Geth, Accaron (6, 17). Ios. 13, 3 civitates eodem ordine recensebantur, solum Gaza Azoto anteponebatur. Ier. 25, 20, quo tempore Geth evaserat civitas omnino iudaica, ordo hic est :

« Ascaloni et Gazae et Accaron et reliquis Azoti ». v. 2 « *Tuleruntque Philistinim arcam Dei* », — non caret effectu repetitio verborum experimentum eventum, Hebraeis tam inopinatum et creditu difficilem — « *et intulerunt eam in templum Dagon, et statuerunt eam iuxta Dagon* ». Tum qua trophaeum (*Ios. Theodoret.*), « ut eum (Dagonem) hoc dono honorarent » (*Aug. de Civ. Dei 17. 4*); tum quia alius praeter fanum locus excipiendi numine, cuius 4, 7 sq. reverentia Philisthaei teneretur, dignus minime videretur (*Menoch.*). In arca erant tabulae mandatorum, quorum primum aiebat: « Non habebis deos alienos *coram me* ». Dagon numen erat praecipuum Philisthaeorum, cuius celeberrima templa erant Gazae (*Iud. 16, 23*) et Azoti (*h. l. et 1 Mach. 10, 83; 41, 4*). Eundem colebant Phoenices, Assyrii, Babilonii. In quorum monumentis representatur hominis habens caput, brachia et pectus, a pectore desinens in piscem; quandoque totus humana specie representatur, piscis caput tibiae instar indutus, piscis reliquo corpore a tergo ad renes usque vel ad pedes dependente. v. 3 « *Cumque surrexissent diluculo Azotii altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini* ». *Ios.* « iacens specie adorantis arcam »; *Mar.* « ut indicetur reverentia idoli erga arcam ». *Rup.*: « Grande spectaculum, grande miraculum! Translata ab Israel gloria Domini, capta ab Allophylis arca Domini, victoriam de victoribus versa vice exigit, primumque in deum ipsorum Dagon, deinde et super homines aggravantur manus Domini ». Eo Azotii facto utique inculcabatur Dagonis comparatione Dei Hebraeorum inferioritas; quam agnoscere nolentes Azotii, factum casui vel ignotae causae attribuerunt. « *Et tulerunt Dagon et restituerunt eum in locum suum* ». v. 4 « *Rursusque mane die altera consurgentes, invenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini; caput autem Dagon et duae palmae manuum eius abscessae erant super limen* ». Quo facto demonstrabatur Dagon non tantum inferiorem esse Deo Hebraeorum, sed ab eodem penitus contritum iri.

In fine v. 3 appendunt LXX totam priorem partem v. 6, et alias etiam in hoc capite ab Hebr. differant, ubi cf. *Wells.* — *Then.* eventum v. 4 narratum putat posse explicari naturaliter: agi de limine non templi, sed angustioris cellae, in qua idolum servaretur; facile potuisse, lapsa et confracta statua, manus et caput in limine consistere. At quomodo secundum leges dynamics explicat *Then.* statua corruente prona coram arca, potuisse caput et ambas manus in limen devolyi (*Clair*)? Caput et manus non dicuntur fractae, sed abscessae. Agitur de limine, quod non soli sacerdotes, sed alii bene multi transgredi consueverant, sc. « omnes, qui ingrediuntur domum Dagon » (v. 5): atqui domus Dagon est templum, non sola cella. Tandem, si lapsus statuae adscribatur causae naturali, quae tandem illa causa est, et cur non arca una corruit?

v. 5 « *Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo* ». Dele in

loco suo; non est verum, neque alii textus habent. *Malv.*: « tantum Dagon in se i. e. in forma piscis remansit », « reliquum corpus sine capite et manibus » (*Sa*); « in ipso idolo non remansit nisi Dagon i. e. figura piscis » (*Caj.*).

Hebr. דגון נשאר עליו, tantummodo Dagon remanserat in eo, ubi LXX ignotum sibi דגון per דגון reddiderunt, appensa terminatione graeca. *Iunius* (ap. *Anani.*) sumit דגון h. l. appellative; « solum quod referebat piscem, remanserat in eo », i. e. truncus. *Wells.* eiusdem vocis ↑ putat esse ortum reduplicatione sequentis ד, et legit דגו: « solum piscis eius remanserat in eo » ergo pars pisciformis, truncus. *Then.* suspicatur, ante Dagon excidisse vocem דג: « solum piscis Dagon remanserat in eo ». Irritam virorum eruditissimorum piscationem! In vivis utique corporibus atque in statuis artificiosius sculptis caput pars est potissima, qua orbatu truncus nomine careat. Ast in idolis rudo fabricatis Philisthaeorum, his maximo quae notas distinctivas in truncu exhibent, truncus pars erat potissima atque idoli nomen sibi vindicabat. Truncus pisciformis erat Dagon, licet capite manibusque careret.

« *Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon et omnes, qui ingrediuntur templum eius, super limen Dagon in Azoto usque in hodiernum diem* ».

v. 6 « *Aggravata est autem manus Domini super Azotios, et demolitus est eos, et percussit in secretiori parte natium, Azotum, et fines eius* ». Verte et percussit eos mariscis, Azotum et fines eius. *Est.* (ad 6, 11): « Hoc ipsum ad gloriam Dei Israel spectabat, quod hostes populi eius arcam Dei captivam apud se tenentes, foedo morbo in secretiori parte natium percussi sint, nec prius inde liberati, quam ipsam arcam remitterent cum muneribus, quibus illam suam percussorem morboque foeditatem confiterentur ». *Theodoret.*: « Ideo sedis morbum passi sunt, quia arcam divinam impie locaverant apud falsi nominis deum ».

עפל (etiam Deut. 28, 27) est tumor aliquis seu bubo, cum ex etymologia, tum ex eo, quod sit exterior aliqua corporis affectio, quae anathemate aeterno representari queat, cf. 6, 3. Pro עפל 6, 11. 17 scribitur כתר, eandemque vocem constanter *keri* suggerit: « sive hoc vocabulum honestius videbatur, sive, quod praefero, usitatus erat et facilius intellectus » (*Gas. Thesaur.* p. 559). Interpretes fere omnes intelligunt de morbo aliquo podicem afficiente; quidam de ipso podice, sed obstat Deut. 28, 27, ilud inter ulcera et scabies recensens. *Symm.* vertit diarrhoeam, sed num haec anathemate representari potest? Ergo rectius *Aq.* tumorem, *Vulg.* v. 9 prominentes exales, *Ger.* mariscas haemorrhoidales, quae quandoque in piri formam excrescunt et facillime imitatione aliqua exprimi poterunt.

(« *Et callierunt villae et agri in medio regionis illius, et nati sunt mures, et facta est confusio mortis magnae in civitate* ».) Haec verba ex LXX, apud quos solos exstant, post Hier. in *Vulg.* esse transumpta, multis ostendit *Vere.*; sunt ea glossa primitus textui adscripta, ad explicandum quod 6, 5 de muribus traditur. v. 7 « *Videntes autem viri*

Azotii huiusmodi plagam, dixerunt: Non maneat arca Dei Israel apud nos, quoniam dura est manus eius super nos et super Dagon deum nostrum ». v. 8 « Et mittentes congregaverunt omnes satrapas Philistinorum ad se et dixerunt: Quid faciemus de arca Dei Israel? » Ex hoc inter alia licet inferre, Azotios tum principatum pentapoleos obtinuisse. Reguli Philisthaeorum mox communi appellatione ׀ִׁׂ designantur, mox speciali appellatione ׀ִׁׂ. « Responderuntque Gethaici: Circumducatur arca Dei Israel. Et circumduxerunt arcam Dei Israel ». Ex textu et accentu hebr., ex Chald. Syr. clare patet, voces aliter esse iungendas: Responderuntque (reguli): In Geth traducatur arca Dei Israel. Et traduxerunt arcam Dei Israel, sc. in Geth. Ita *Vatabl. Mar. Houb. Anam.*

LXX Responderuntque Gethaici: Traducatur arca Dei Israel ad nos. At haec lectio veri dissimillima est. Primum Azotii sui honoris esse duxerant, arcae trophaeum in suam urbem recondere. Ubi vero constitit, arcae detentionem plagis puniri, nemo tunc sibi sinistram recipiendam arcae honorem sponte expetivit; sed reguli tres potentiores: Azotius, Gazaesus, Ascalonita, effecerant, ut civitates minus potentes, primum Geth, inde Accaron, arcam recipere cogerentur. Quoad Geth cf. 29, 3 sqq., unde liquet regem Geth minori inter Philisthaeos auctoritate polluisse.

v. 9 « Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas civitates » — reliqui omnes « per civitatem », sc. Geth — « interfectionis magnae nimis, et percutiebat viros (uniuscuiusque) urbis a parvo usque ad maiorem, et computrescebant prominentes extales eorum. (Inieruntque Gethaici consilium, et fecerunt sibi sedes pellicaeas ».) Ultima rursus sententia ex LXX post Hier. in *Vulg.* transivit (*Ver.*).

Computrescebant: quomodo hanc verbo ׀ִׁׂ affixerit significationem Hier., non video; forsitan ex Aq. desumpsit *περιεχόμενοι*. Genuina vocis significatio est *absconditae sunt* (Syr.), sed h. l. parum quadrat. Chald. LXX percussit; alteram eiusdem vocis versionem dant LXX fecerunt, eamque ita indeterminatam, ut paleat LXX sensum vocis latuisse (Wellh.). *Ges. Fürst* « ruptae sunt », recurrentes ad radicem arab. aliquam.

v. 10 « Miserunt ergo arcam Dei in Accaron », forsitan prius iterum coacto regulum concilio. « Cumque venisset arca Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronitae dicentes: Adduxerunt ad nos arcam Dei Israel, ut interficiat nos et populum nostrum ». v. 11 « Miserunt itaque et congregaverunt omnes satrapas Philistinorum, qui dixerunt: » — Ita recte *Vulg.*, videntur enim sequentia verba exprimere, non tam petitum Accaronitarum, quam regulum decretum affine illi, quod v. 8 enuntiabatur — « Dimitte arcam Dei Israel, et revertatur in locum suum, et non interficiat nos cum populo nostro ». v. 12 « Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus, et gravissima valde manus Dei; viri

quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte nationum, et ascendebat ululatus uniuscuiusque civitatis in coelum ». Quomodo textus LXX deformatus fuerit, explicat Wellh. Pro in singulis urbibus lege in tota urbe, pro uniuscuiusque civitatis lege civitatis: tota sententia est de plaga Accaronitarum, quae videtur severior fuisse ceteris (Keil).

Cap. VI v. 1 « Fuit ergo arca Domini in regione Philistinorum septem mensibus ». « Cum arca tempore messis triticeae (v. 13) fuerit reducta, verisimile est, ad mensem novembrem gestum esse bellum, quo ad Philistinorum manus arca pervenit; nam ex eo ad triticeam messem, quae in maii plerumque extremum tempus incurrit, septem interiecti sunt menses » (Sanct.). v. 2 « Et vocaverunt Philisthim sacerdotes et divinos, dicentes: Quid faciemus de arca Domini? » Melius: Quid faciemus arcae? Quid de arca faciendum esset, 3, 11 communi regulum consilio statutum fuerat; sed quomodo remittenda sit integra religio, quaeritur (Sanct. Calm.). « Indicate nobis, quomodo remittamus eam in locum suum ». Pro quomodo accuratius LXX in quo seu quocum; cf. Mich. 6, 6 (Hebr.): « Quocum festinus adstabo ante Dominum? » Supponunt Philisthaei, arcam sine donario non posse dimitti. Neque obicias cum *Then.*, ad quaestionem « quocum » non fuisse responsuros sacerdotes: « Nolite dimittere eam vacuum ». Nam, ut recte advertit Keil, ea verba non sunt integra sacerdotum responsio. Primum, citatis verbis, approbant regulum consilium de arca non dimittenda vacua; dein v. 3 ipsa donaria describunt. « Qui dixerunt: » v. 3 « Si remittitis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuum, sed quod debetis, reddite ei pro peccato », — Hebr. restituite ei piaculum pro peccato. Ei *Then.* intelligit Iehovae; melius arcae, quae secundum mentem Philisthaeorum unum cum Iehova erat numen — « et tunc curabimini et scietis, quare non recedat manus eius a vobis ».

LXX, cui fere consonat Chald.: Tunc curabimini et reconciliabitur vobis: quomodo non recedat manus eius a vobis? Standum textui recepto, ubi nexus logicae difficultatem parit. *Cler.*, Keil: « Tam si (post datam oblationem) curabimini, manifestum fiet vobis, cur manus eius non recesserit a vobis », sc. quamdiu arcam detinebatis. Constructio admitti potest. Quam praeferrunt, quod ex v. 9 colligant, sacerdotes alicui dubitasse, fuerintne mariscae a Deo Israel inflictae, an casu evenerint; non potuisse eos igitur h. l. absolute dicere tunc curabimini. Sed obiectio solvitur, si supponamus, sacerdotes quidem, quis auctor plagae fuerit, omnino compertum ipsos habuisse, non tamen id aeque compertum esse regulis supposuisse. Quare h. l. ex propria mente absolute loquuntur tunc curabimini, v. 9 ex mente audientium dubitationem aliquam exprimunt. Quae si attendantur, certe *Vulg.* versio tamquam planior est praeferrenda.

v. 4 « Qui dixerunt : Quid est, quod pro delicto reddere debeamus ei? Responderuntque illi : » v. 5 « *Iuxta numerum provinciarum Philistinorum quinque anos aureos facietis et quinque mures aureos, quia plaga una fuit omnibus vobis et satrapis vestris* ». Vobis pro illis (Hebr.) habent versiones omnes et codices hebr. plures; item omnes, contra *Vulg.*, legunt *iuxta numerum regularum, non provinciarum*. Datur ratio quinarii oblationum numeri: vel quod mariscae non trium tantum, sed omnium urbium incolae affecterint, sed id praeter cap. 5 narrata suppeditur, ubi trium tantum civitatum plaga recolitur; vel quod saltem murium infestatio, de qua statim, fuerit universalis; vel, quod verius est, quod strages, qua aliquae urbes affectae sint, totam affecterit nationem, cives et principes, sicut clades parti exercitus inflicta totum exercitum afficit. Quinque reguli deliberabant et consilium a sacerdotibus petebant: secundum eorum numerum quinarii anathematum solvendi erant. « *Faciatisque similitudines anorum vestrorum* » (Hebr. *mariscarum*), « *et similitudines murium, qui demoliti sunt terram, et dabitis Deo Israel gloriam, si forte revelet manum suam a vobis, et a diis vestris, et a terra vestra* ». Haec gloria constabat persolvendis picanlis, qua Dei Israel super Dagonem eminentia et peccatum detentione arcae commissum agnoscebatur (*Mar. Calm.*). Si forte spem hoc loco potius exprimit quam dubitationem.

Hic versus et v. 41. 48 unici sunt, in quibus critica certa mentio recurrit murium. Iam *Wellh.*, secutus *Hitzig* (Urgeschichte der Philister p. 201, Geschichte des Volkes Israel p. 125) censet murem fuisse symbolum ulcers pestiferi, ideoque h. l. non esse nisi alteram repraesentationem luis, quae Philisthaeos invaserat; s. textum non edicere, eorum agros eo tempore a muribus fuisse vastatos; verba autem « qui devastant regionem » idem sonare, ac « mures agrestes ». Verum nihil impedit, quominus, sensui obvio inhaerentes, admittamus, inde ab adventu arcae, Philisthaeorum agros fuisse a muribus devastatos. Recte quoque advertit *Keil*, ipsum additamentum « qui devastant regionem », ad mures spectans, dum mariscae simili additamento careant, ostendere murium novam esse quandam plagam, in prioribus nondum narratam ideoque hic peculiari additamento descriptam. Cur vero eius plagae in s. textu, critica restituro, nulla prius fiebat mentio? Narratores hebraei, sicut aliarum nationum narratores, non omnia semper illico explicant, sed aliquando quaedam serius supplent (*Verc.*). Verisimiliter etiam murium plagam, quippe quae in illis regionibus non ita raro recurrit, neque loco, in quo arca versaretur, circumscriberetur, a Philisthaeis primum arcae non est adscripta: unde neque priori narrationis parte referenda erat. — De additamentis LXX ad 5, 6 et 6, 4, quae post Hier. in *Vulg.* irrepererunt et murium plagam fusius enarrant, ita indicat *Wellh.*: « Ex una parte illa additamenta facillime concipiuntur esse suppleta a critico aliquo, qui eadem ratione, atque *Thenius* ad 5, 6, ratiocinabatur, et

suo quodque loco serius agglutinata fuisse perspicuntur; ex altera parte sufficienti ratio, cur illa in Masor. textu singulis illis locis pariter exciderint, excitari nequaquam potest ». Ergo standum textui hebr. et *Vulg.* restitutum.

v. 6 « *Quare aggravatis* » — melius *aggravetis*: non affirmatur factum, sed hypothesis statuitur — « *corda vestra, sicut aggravavit Aegyptus et Pharaon cor suum? Nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos et abierunt?* » Quam hic vocem *Vulg.* vertit *percussus est*, alias vertit *illudere*, estque sensus *libidinem explere*, sive luxuria Iud. 19, 25, sive crudelitate 1 Reg. 31, 4; Ier. 38, 19. Argumentum sacerdotum hoc est: quid iuvat aggravare cor? Nonne Pharaon, postquam omnibus modis lacessivisset Hebraeos, ne Aegyptio excederent, tamen dimittere coactus est? « *Volentes nolentesque tandem ad haec extrema cogemini* » (*Calm.*). — Aggravant corda Philisthaei, dum aliquid eorum, quae iure postulabantur, praestare renunt, dum aut arcam dimittere, aut cum condisigno piaculo dimittere recusant.

Sensus secundum *Vulg.* sat planus est, subiectum Pharaon: Quid iuvat Pharaonem aggravare cor et Hebraeos torquere? tandem coactus dimisit. *Hebr. LXX Chald.* subiectum mutant: *Nonne, postquam libidinem explevit (Pharaon), tunc dimiserunt eos (Aegyptii), et abierunt (Hebraei)?* Forma verbi hebr., sola mutata punctatione e plurali in singularem transferri potest. *Durius Calm.* Deum subiectum introducit: « *Nonne postquam indignationem explevit (Deus), dimiserunt eos etc.* » Tandem *Syr.*: *et, postquam indignationem expleverunt in illis nec dimiserunt eos, tamen abierunt.* Legebat *ללא יראו ו... ו הוואו ו הוואו ו הוואו ו* pro *הוואו ו הוואו ו הוואו ו*; etiam hic sensus est planus.

v. 7 « *Nunc ergo* », abdicata omni cordis aggravatione, « *arripite* » lignum « *et facite plaustrum novum unum; et duas vaccae fetus, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro, et recludite vitulos earum domi* ». *Est.*: « *Hoc consilium, etsi ab idolorum sacerdotibus ac divinis datum, tamen instinctu Dei datum videtur, qui hoc modo voluit gloriam suam in reducenda arca manifestare* »; et comparat Caiphae de morte Christi prophetiam. — Plaustro novo 2 Reg. 6, 3 ab Israelitis arca deducitur; pullo, « *super quem nemo adhuc hominum sedit* » (Marc. 11, 2), Christus insidet; in monumento, « *in quo nondum quisquam positus fuerat* » (Luc. 23, 53), sepelitur. *Sanct.*: « *Indignum putabant sacerdotes, si plaustrum portaret arcam Domini, quod rustico ministerio aut humanis commodis ante servierat... Est itaque hoc divinae maiestati debitum, ne quid illi alienis usibus attritum offeratur, ne quid prius ex oblato munere libarit humana commoditas* ». Item vaccae requiruntur, nullo ante profano servitio mancipatae.

Fetas LXX reddit *πρωτοκοκλιας*, recte quoad sensum, nam certe vaccae

nonnisi usque post primum partum iugo eximebantur. *Sanct.* : « Eo spectant sacerdotum consilia, ut explorent, an ab offenso Deo vel a naturali causa illam Palaestini plagam, aut illorum agri vastitatem acceperint. Quare illa proponunt documenta et signa, quae nunquam aut raro solet edere natura mortalium, ut illa a Deo potius quam a natura edita nemo non agnoscat. Difficile est, indomitas vaccae, quae neque cervicem iugo neque dorsum oneri subiecerunt, in-gum subire et plaustrum trahere, neque declinare de via, cum tamen neque rhedarius regat aut stimulis adigat. Difficile est, cum libero^o vaccae progrediantur inessu, vitulorum amore et iterato saepius vagitu non revocari de medio cursu. Haec sane neque natura efficit, neque illo modo patitur nisi invita. Quare si id ultro, neque ab aliis instimulatae vaccae praestiterint, argumentum est prudentibus remque suis momentis explorantibus, divinum esse negotium, non humanum ».

v. 8 « *Tolletisque arcam Domini et ponetis in plastro, et vasa aurea, quae exsolvistis et pro delicto, ponetis in capsellam ad latus eius; et dimittite eam, ut vadat.* » v. 9 « *Et aspicietis; et siquidem per viam finium suorum* » — terrae Israel: idea est ethnica, diversa numina statuens singulisque suos attribuens fines — « *ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande; sin autem minime, sciemus quia nequaquam manus eius tetigit nos, sed casu accidit.* » v. 10 « *Fecerunt ergo illi hoc modo, et tollentes duas vaccae, quae lactabant vitulos, iunxerunt ad plaustrum, vitulosque earum concluserunt domi.* » v. 11 « *Et posuerunt arcam Dei super plaustrum, et capsellam, quae habebat mures aureos et similitudines anorum.* » v. 12 « *Ibant autem in directum vaccae, per viam quae ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur, pergentes et mugientes, et non declinabant neque ad dexteram neque ad sinistram. Sed et satrapae Philisthim sequebantur usque ad terminos Bethsames.* » *Ibant in directum: Hebr.* *recta fecerunt in itinere, i. e. recta iter arripuerunt; agitur de itineris initio, dum itinere uno gradiebantur ad eisdem continuationem refertur, et explicatur verbis non declinabant etc. Unum perseverabat iter, quod non declinarent neque ab invicem singulae, neque ambae a directione itineris semel arrepta. Theodoret.* : « *Plaustrum, quod a nullo homine regebatur, habebat arcam et onus et aurigam.* » *Sanct.* : « *Pergebant mugientes vaccae, quia mugientes audiebant vitulos et quasi suam orbitatem lugentes, quibus ipse materno admugiebat affectu, et licet dolerent, pergebant tamen non intermisso gressu neque tantillum a directa via declinantes.* » — *Sacy* : « *Arca, quae victa ingressa erat regionem Philisthaeorum, triumphans revertitur, secum asportans in aureis vasis imagines horribilium plagarum, quibus Hebraeorum Deus eam gentem affecerat.* » — Bethsames, nunc Ain Schems, ubi via, quae ducit

ab Accaron Hierosolymam, intersecat viam quae ducit ab Emmaus Eleutheropolim. Urbs erat levitarum, in tribu Iuda sita Ios. 13, 10; 21, 46; 1 Par. 6, 59; ii igitur, quorum v. 13 fit mentio, levitae non erant longius accersendi, sed et ipsi Bethsamitae erant (*Sanct.*). Si advertas, ab Accaron usque Bethsames regulos Philisthaeorum comitatos esse arcam, tamquam per regionem ipsis subiectam, intelliges, quam arcis tum limitibus Hebraeorum respublica ad meridiem versus fuerit circumscripta.

v. 13 « *Porro Bethsamitae metebant triticum in valle* », circiter mense Maio. « *Et elevantes oculos suos, viderunt arcam et gavisi sunt, cum vidissent.* » v. 14 « *Et plaustrum venit in agrum Iosue Bethsamitae et stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus.* » Hoc incisum cum *Keil* parenthesin interpretare; postea subiectum idem rursus est, quod antea fuerat, Bethsamitae. Erat autem illico mentio faciendi lapidis magni, tum quia v. 13 illi imponitur arca, tum quia v. 18 exhibetur ut monumentum perenne eorum, quae ibi acta fuerunt. « *Et coniderunt ligna plaustrum, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino.* » *Calm.* : « *Plaustrum illud, quod arcae servierat, in alios profanos usus adhiberi religio fuit, quare illud aptissimum succurrit, ut altaris igne absumeretur.* » v. 15 « *Levitae autem deposuerunt arcam Dei et capsellam, quae erat iuxta eam, in qua erant vasa aurea, et posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitae obtulerunt holocausta et immolaverunt victimas in die illa Domino.* »

Versum hunc, saltem partem priorem, verte plusquamperfecto. Continet hic utique supplementum aliquod ad v. 14 (*Wellh.*), non tamen inde inferre fas est, esse diversi auctoris. Antea subiectum sacram functionum indeterminate enuntiabat *coniderunt, imposuerunt*; postea s. auctor suarum partium esse existimavit affirmare, id non a Philisthaeis esse factum, sed levitae arcam deposuisse, Iudaeos sacris litasse. Antea solum sacrificium principale vaccarum enarraverat; addit iam sacrificia accessoria, quae omnes indiscriminatim Bethsamitae, fortasse ii etiam qui nequaquam leviticae stirpis essent, obtulerunt. *Holocausta* v. 15 non videntur esse idem, quod *holocaustum, sc. vaccarum*, v. 14.

v. 16 « *Et quinque satrapae Philisthinorum viderunt, et reversi sunt in Accaron in die illa* »; « eodem die, i. e. quam velocissime » (*Malv.*); « certi, quod Hebraeorum Deus illam tantam cladem et stragem edidisset » (*Sanct.*) in regione Philisthaeorum. Interfuerunt tamen primum sacrificio. Fuerunt igitur testes oculati omnium, quae modo narrabantur magnum Dei. Pergit iam s. auctor, quasi maiorem praecedenti narrationi authentiam conciliaturus, recensere alios testes, documenta quaedam permanentia eorum magnum Dei, donaria sc. aurea cum arca allata et, maxi-

me omnium, lapidem illum magnum, in quo collocabatur arca. v. 17 « *Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philistiim pro delicto Domino : Azotus unum, Gaza unum, Ascalon unum, Geth unum, Accaron unum* » ; — forte singulorum origo signo aliquo impresso indicabatur — v. 18 « *et mures aureos secundum numerum urbium Philistiim quinque provinciarum, ab urbe murata usque ad villam, quae erat absque muro* ». Iam Ps. Hier. intellexit, exprimi hic mures aureos quinario plures : « *quinque anos et quinque mures hae quinque civitates dederunt ; reliquae autem civitates provinciarum et villae, quae erant absque muro, mures tantum dederunt* ». Malb. alique statuerunt quinque mures aureos, veriti ne secus contradictio adesset cum v. 3, ubi sacerdotes suadent quinque mures aureos effingi. Difficultas ita solvitur. Sacerdotes utique suggererant quinarium pro numero urbium principum, sed Philisthaei longe maiorem numerum obtulerunt. Cur ita ? Quia plaga murium non quinque solum urbes, sed totam late regionem afflixit ; timebant forte etiam incolae reliquarum urbium, ne, si ipsi anathema offerre negligerent, plaga a quinque urbibus recedens apud ipsos perseveraret. Huius explicationis ipse meminit Malb. eamque tenet Calm. Duguet alique. — Instat Wellh., capsellam non fuisse tanti numeri murium aureorum capacem. Verum nescimus, quanta fuerit capsella, quantulae murium effigies, quisve tunc numerus urbium et pagorum Philisthaeis subiectorum. Si quando christiani, alicuius sancti intercessione sanati, ad eius altare suspendunt crus vel brachium, ex cera vel argento conflatum, eiusmodi anathema, ut plurimum, nullatenus magnitudinis est naturalis cruris vel brachii. « *Et usque ad Abel magnum, super quem posuerunt arcam Domini, quae erat usque in illum diem in agro Iosue Bethsamitae* ». Vertendum ita : Et testis est lapis magnus, super quem posuerunt arcam Domini, qui est usque in diem hunc in agro Iosue Bethsamitae.

Cum LXX Chald. Praeferendum est ketib לִפְנֵי הַבַּיִת lapis prae ker לפני הבית . Punetatio Masor. et versionum לפני usque nullum sensum praebet : quid tandem sibi vult lapis ille magnus, medius inter urbes muratas et pagos patentes ? Neque censendi sunt Philisthaei pro lapide illo magno murem aliquem aureum obtulisse. Henslerus punctavit לפני , « et adhuc (exstat) lapis ». Sensu affini sed constructione longe planiori, Theop. punctavit לפני « testis ». Habetur textus omnino parallelus Gen. 31, 51 sq. : « Dixitque rursus ad Iacob : En tumulus hic et lapis, quem erexi, inter me et te testis erit ; tumulus, inquam, iste et lapis sint in testimonium etc. ».

Ergo s. auctor in eo est, ut, quae in regione Philisthaeorum acta sint, magnalia Dei Israel multiplice confirmet testimonio : primum regularum, qui suis ipsi oculis rem viderint v. 16 ; secundo donariorum, quae adhuc asserventur ; tertio lapidis illius magni, qui exstet in agro Iosue Bethsamitae. Iam vero haec argu-

menta scriptorem contemporaneum arguunt, i. e. Samnelem. Argumentum lapidis tum tantum plenam vim obtinebat, quamdiu apud aecolas traditio eventus recens et distincta continuaret : non enim merus iners lapis testimonium profabatur, sed lapis traditione certa quasi vestitus. Regularum testimonium tum maximum vigorem retinebat, quando aut ipsi aut immediati eorum successores poterant appellari. De donariis nusquam secus Scriptura loquitur ; unde, quamdiu fuerint praeservata, ignoramus ; aliqui putant, usque ad captivitatem Babylo-nicam, sed est mera coniectura. — Imo ipsum factum, quod huic singulari eventui, plagae sc. Philisthaeae firmandae tantopere insistatur, auctorem arguit contemporaneum. Abundat siquidem V. T. eiusmodi factis, quibus Dei omnipotentia luculenter demonstratur, etiam longe illustrioribus quam portenta inter Philisthaeos patrata. Quare auctores eventibus posteriores potius recurrunt ad magnalia in Aegypto et in deserto patrata. Plaga vero Philisthaeica summopere debuit percellere contemporaneos, summi momenti erat Samueli ad eius auctori, tatem, clade apud Lapidem Adiatorii accepta fortasse apud plures imminutam restituentam, ad eius cohortationes confirmandas. — Etiam quod 5, 5 traditur, de sacerdotibus Philisthaeis verentibus calcare limen templi Dagon « usque in hodiernum diem », auctorem contemporaneum suggerit. Gratis enim supponitur eiusmodi praxis apud Philisthaeos continuasse indefinite ; multo probabilius est, continuasse aliquandiu tantum.

Liceat hic inquirere, quid egerit Samuel eo tempore, quod interessit inter cladem Lapidis Adiatorii et reditum arcae. Monebat, corripiebat, animos erigebat. Non abs re erit h. l. adscribere, quae de illo tempore scribit Asaph Ps. 77 (78), 53 sqq. : « Et habitare fecit in tabernaculis suis tribus Israel. Et tentaverunt et exacerbaverunt Deum excelsum, et testimonia eius non custodierunt. Et averterunt se et non servaverunt pactum : quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum. In iram concitaverunt eum in collibus suis, et in sculptilibus suis ad aemulationem eum provocaverunt. Audivit Deus et sprexit et ad nihilum redegit valde Israel. Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus. Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici. Et conclusit in gladio populum suum, et hereditatem suam sprexit. Iuvenes eorum comedit ignis, et virgines eorum non sunt lamentatae, sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, et viduae eorum non plorabant. — Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens erupulatus a vino. Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis ».

v. 19 « *Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini* ». Post Rabbinos rationem inflictae plagae assignant plures, quod Bethsamitae arcam introspexerint : verum id eos fecisse, ex textu nullatenus eruitur. Alii cum Abul., quod illam nudam involucris aspexerint ; ubi Sanct., Tir. supponunt, arcam a Philisthaeis esse reductam involutam, qualis ab Hebraeis perlata fuerit in aciem. Quod etsi permittatur, gra-

tuita manet assertio, Bethsamitas involucria remouisse; si negetur, quomodo nisi nudam videre poterant arcam? — Rectius *Hugo a S. Vict.* (137. 97) illos percussos censet ob aspectum arcae irreverentem, audacem. Ubi advertit *Wellh.* *והיה* significare non simplicem et quasi passivum aspectum, sed activam intuitionem et curiosum scrutinium. Erat autem aspectus irreverens ex adiunctis. Arca ab Hebraeis ob illorum sacrilegia et praesumptionem recesserat. Neque condigne expiata fuerat culpa, accepta ad Lapidem Adiutorii clade, cum illud ipsum praelium ob praesumptionem adductae in castra arcae sceleris pars fuerit atque apex. Perperam igitur Bethsamitae arcae reditum videntur esse interpretati integram sui in divinam gratiam restitutionem. Placandum supererat offensum numen. Recte quidem e civitate levitae arcam e plastro deposuerunt, recte vacas super incensa plastrum fragmenta immolaverunt: haec enim licere, quinimo a numine requiri, ipsa reditus ratione significabatur. Quibus tamen praestitis oportebat illos ad poenitentium sensus et habitum relabi, numinis veniam implorare, non arcae aspectibus indulgere, circa illam tripudare, multoque minus privata auctoritate, quasi totus iam in integrum restitutus esset cultus, sacrificia offerre. Ob huiusmodi arcae aspectum percussi sunt illi Bethsamitae, quos eodem fuisse viros censemus, de quibus v. 13 narratur: « Viri autem Bethsamitae obtulerunt holocausta et immolaverunt victimas in die illa Domino ». Quid ergo illis fuerat agendum? Quo tandem signo placatum sibi numen intelligere poterant? Accersendus erat propheta magnus, quem Deus suscitaverat in medio Israel, atque ab ipso sciscitandus placandi numinis ritus atque tempus. Verum igitur Bethsamitarum scelus erat non accersitus Dei propheta, cultus privata auctoritate redintegratus, peccatum praesumptionis, quod utique coniunctum habebat irreverentes obtus, et per hos a Samuele quasi euphemistice describitur, quod vir humilis propriae neglectae auctoritatis mentionem refugeret.

Accipe et aliam explicationem praecedenti affinem. Bethsamitae percussi sunt ob merum aspectum arcae, eumque non de se irreverentem. Arca, pridem ut omnium benedictionum fons Israelitis concessa, ob eorum sacrilegia ab ipsis recesserat et iam, repressa veluti beneficiandi virtute, solam plectendi exerebat vim, donec ira offensi numinis digne placaretur. Oportebat igitur primos, qui illam reducere aspexissent, Israelitas percuti, non ob novum aliquod ab ipsis admissum scelus, sed ob universale gentis nequum expiatum scelus. In quo tamen eam illis Dominus misericordiam exhibuit ut non omnes, quicumque viderint, sed aliquos tantum percusserit. Haec explicatio confirmatur ex v. 13, ubi ipse arcae obtutus, et quidem de se omni vacuus irreverentia, literis consingatur: « elevantes oculos suos, viderunt arcam ». Optime utramque explicationem copulabis. — Prorsus diversam lectionem habent *LXX*, cui adhaerent

Then., *Wellh.*: *Et non suut delectati filii Iechoniae de viris Bethsames, eo quod vidissent arcam Domini.* Sed caret illa sufficienti auctoritate critica, estque omnino praeter contextum.

« *Et percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis.* » Reiecto spurio additamento, lege: *Et percussit de populo (vel: de eis) septuaginta viros.* Quippe totidem, neque plures, percussi sunt.

Hebr. *Et percussit de populo septuaginta viros, quinquaginta millia virorum.* *LXX* *Et percussit de ipsis* (*בָּהֵם* pro *בָּנֵם*) *septuaginta viros et quinquaginta millia virorum.* *Chald.*, explicationem tentans: *Et percussit in senibus populi septuaginta viros, et in universitate quinquaginta millia virorum.* *Syr.* *Et percussit in populo quinque millia et septuaginta viros.* *Is.* « Septuaginta viros. » — Ex quibus lectio *Syr.* evidenter eliminanda est, utpote quae sit ex *Hebr.* deteriorata: siquidem in codice, in quo numeri integre scribebantur, facile permutari potuit *הַכִּיָּסִים* « quinquaginta », et *הַכִּיָּסֵת* « quinque ». — Iam contra textum, uti in *Hebr.* et versionibus exstat, aliquae moventur difficultates. Vocem de *populo*, post immediate praecedens de *viris*, *Then.* genio linguae *hebr.* proscribi censet. Non videtur difficultas ita gravis, insuper excluditur lectio *LXX* critica satis probabilis, de *ipsis* loco de *populo*. — Alii, et merito quidem, reprehendunt numeralium constructionem omnino abnormem; *Then.*, *L. Reinke* (Beitrag zur Erklarung des A. T., I. 125 sqq., II. 531 sqq., Münster 1851-1853): quinquaginta millia scribenda erant ante septuaginta, interposita copula; vox *viros* non erat repetenda. — Tandem, quod iam viderunt *Sanct.*, *Mab.*, *Menoch.*, *Calm.* aliique, absurde supponitur civitas Bethsames tum numerasse plus centum mille incolis: tot enim fere esse debebant, si quinquaginta millia et septuaginta divino intervento interimendi fuissent. « Eruditi omnes fatentur », affirmat *Verc.*, « in sacro textu nequaquam quinquaginta millia et septuaginta homines *Bethsamitas* interemptos dici; quod aliunde incredibile esset ». — Hinc varias varii protulerunt solutiones. *Itob.*, *Verc.*, *Ghiringhelli* (a *Verc.* citatus) morte plectunt, *Bethsamitarum* solos septuaginta, aliorum *Hebraeorum* eo confluentium quinquaginta millia: ast illud textus minime habet. *Angelom.*, *Rhab.*, *Est.*, *Rossi* cum *Ps. Hier.* ante alterum numerale inserunt coniunctionem ב : Percussit septuaginta viros, ob senium vel fortitudinem acquirandos plebeis quinquaginta millibus. Qui sensus ridiculus est, et recte advertit *Reinke*, ב ante numeralia habere sensum non comparativum sed explicativum: « circiter. » *Guenee* (apud *Clair*, *Clair* supplement ב : septuaginta de quinquaginta millibus. Mitimus alios. — Solutio unice sufficiens solas voces « Et percussit de populo septuaginta viros » genuinas pronuntiat, reliquis reiectis. Inlittur textui *Is.*, *keri*, aliquibus codicibus *hebr.*: probatur *Kennicott*, *Tychsen*, *Michaelis*, *Hufnagel*, *Then.*, *Dereser*, *Reinke*, *Keil*, *Wellh.*, quibus *Rossi* accenset *Versuchium*; probabilis declaratur a *Rossi*. Non plures septuaginta viri esse interfectos, iam defendebant *Lyr.*, *Abul.*, *Sanct.* Quomodo vero quinquaginta illa millia virorum in textum penetraverint, ita explicatur. Legebatur primitus *עֶאֱשֵׁת*, quod in aliquibus codicibus defiguratum est in *עֶאֱשֵׁ*; quae altera lectio, uti consuevere amanuenses, in aliis codicibus margini adscripta est, postea, quod alias sexcenties obtinuit, e margine in textum penetravit, ut iam legeretur *עֶאֱשֵׁת עֶאֱשֵׁת*; tandem numeralia omnibus literis descripta fuerunt, qualia in hodiernis bibliis leguntur. Concedendum tamen est, corruptionem illam s. textus esse perantiquam, utpote ver-

sionibus antiquiorem; quamvis improbabile non sit, LXX primitus cum *Ios.* concordasse.

« *Luxitque populus, eo quod Dominus percussisset plebem plaga magna* ». *Sanct.*: « Post caedem illam adhuc supererat populus, unde nonnulla coniectura sumitur, non esse tantam multitudinem interfectam ». v. 20 « *Et dixerunt viri Bethsamitae: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius? Stare, i. e. perseverare stans, erectus manere, non corruere. Interrogatio dubium exprimit, sitne omnino aliquis incolumis permansurus. Dubii ratio desumitur ex Dei sanctitate, omne omnino naevum discernentis atque punientis. Ignorant Bethsamitae Dei misericordiam, qua etiam dum punit movetur; hinc arcam, benedictionum caelestium originem a se remove student: « Et ad quem ascendet a nobis? » Subiectum est Dominus, non arca. v. 21 « *Miseruntque nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philisthim arcam Domini; descendite et reducite eam ad vos* ». Brevi tantum tempore arca apud Bethsamitas substituisse videtur. Cariathiarim, uti putant, ille locus est, qui hodie Kariet-el-Enab audit, secus viam quae Hierosolymis descendit Ioppen. Cur ea urbs a Bethsamitis selecta? Fortasse, quod erat secus viam, qua a Bethsames tendebatur Siluntem, quodque certum habebatur, arcam tandem Siluntem esse reportandam; fortasse praeterea ob singularem urbis incolarum conditionem. Erant enim hi originis non pure Iudaicae *Ios.* 9, 17 sqq., et conditionis paene servilis, qui invitationem devehendae ad se arcae declinare effecaciter vix potuissent. Repetitum est hic, quod ante factum fuerat inter Philisthaeos, ubi urbes validiores arcam a se removerant, primum ad Gethaeos, deinde ad Accaronitas; quodque postea 2 *Reg.* 6, 10 factum legimus, quando, percusso divinitus Oza, David arcam transportavit in domum Obedom *Gethaei*: committebatur arca vilioris conditionis hominibus, in eos pro lubitu saevitura. — Ceterum Samuelis 7, 3 facta mentio videtur efficere, eum a viris Cariathiarim fuisse consultum, sive ubi de arca a Bethsamitis accipienda, sive certe ubi de ea in Cariathiarim retinenda agebatur. Qui retinendam esse videtur pronuntiasse, donec divinitus, quo esset deferenda, innotesceret. Hinc viri Cariathiarim plagis non leguntur esse afflicti, sed probabilius benedictionem nacti sunt, qualem postmodum Obedom.*

Cap. VII v. 1 « *Venerunt ergo viri Cariathiarim et reduxerunt arcam Domini, et intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa* ». Pro in *Gabaa* cum LXX verte in colle, loco se. « qui in civitate magis erat sublimis atque munitus, quique magis videbatur dignus, qui arcae Dei religiosum et tutum praebere hospitium » (*Sanct.*). Insuper LXX *Chald.* *Syr.* et plures codices hebr. pronomen relativum habent: « quae erat

in colle ». Arcam mansisse non in alia aliqua civitate Gabaa, sed in ipsa Cariathiarim, patet ex v. 2 et 1 *Par.* 13, 3 sq. — « *Eleazarum autem, filium eius, sanctificaverunt, ut custodiret arcam Domini* ». « Sanctificare est idem ac destinare, ut diximus ad illud *Ier.* 1: Antequam exires de vulva, sanctificavi te » (*Sanct.*). Abinadab fuisse levitam, probari nequit. Licet enim Caathitae essent custodes arcae ordinarii Num. 3, 31, facile intelligitur, eum honorem potuisse in filium transferri Abinadab, cuius in domo arca substiterat. Accedit, quod Eleazarus dicitur esse ad id officium designatus ab incolis Cariathiarim, veluti nomine eius civitatis. Neque excluditur, id esse factum consulto Samuele et approbante Domino. Similiter Oza et Ahio, filii Abinadab, probari nequeunt fuisse levitae, et Ozae poena longe facilius intelligitur, si is supponatur non fuisse levita.

v. 2 « *Et factum est, ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies* », i. e. multi elapsi sunt dies, « *erat quippe iam annus vigesimo* » — reliqui planius et facti sunt viginti anni — « *et requievit omnis domus Israel post Dominum* ». Elapsi sunt viginti anni, quo tempore Samuel primum iunior erat, quam qui iudeis munus ageret, constanter tamen contra ingravescentem idololatriam nitebatur (*Sanct.*), tandemque populi spiritualem renovationem complevit. Vide tot annorum unicam in mente Samuelis ideam, unicum in actis propositum.

Vatibl. alique: « lamentata est omnis domus Israel post Dominum »; quae significatio verbi *נחמה* ex *Ez.* 32, 18; *Mich.* 2, 4 confirmatur; tamen « lamentari post aliquem » alias non occurrit. Ceterum ea interpretatio etiam Vatiblo antiquior videtur, nam secundum eam videtur *Ps. Hier.* illos viginti annos dixisse « miseriarum repletos ». *Vulg.* *requievit* non est eam *Lap.* inde explicandum, quod S. *Hier.* legerit *in* *reg.*, sed significationem videtur petuisse ex affini radice *נחה* habitare, quiescere. *Chald.* radicem *נחה* retinet, quae tamen in eius lingua sensum adunandi habet: *et adunata est omnis domus Israel post servitium Domini*. Possumus forsam radice hebr. eandem tribuere adunandi significationem; eadem autem constructio cum *post* omnino congruit, cum etiam voces affines *נחה*, *נחה* ita construantur. Cf. *Ges.*, *Fürst.* — *Syr.* inclinavit se, LXX *ἐκλίνας*.

v. 3 « *Ait autem Samuel ad universam domum Israel, dicens: Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth, et praeparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et eruet vos de manu Philisthim* ». *Baalim* spurie in *Vulg.* irrepsit (*Verc.*). Pro et *Astaroth* lege et *cippis*: auferebantur erant idolorum statuae et trunci lignei, qui aschera dicebantur. Erant ii modo cippi, modo arbores, modo luci; eminebant maxime in collibus, prope altaria Baal, ubi luxuria pro religione erat. Sitne Aschera eadem